Memoria Philippi Gabrielis Hensleri · 1806.

Memoria

Philippi Gabrielis Hensleri

Celeberrimi Medicinae Doctoris et Professoris Regiique Archiatri

nuper defuncti:

celebrata

Academici Senatus Kiliensis

rogatu et auctoritate.

Kiliae,
typis C. F. Mohr.
1806.

Quod in humanissima olim Atheniensium civitate more fuisse receptum, narrat Xenophon: eo videlicet loco Memorabilium [1]), quo Socratis de pietate praecepta pius ipse scriptor exponit: ut, si quis Archon fieri in republica vellet, per legitimam explorationem in foro praeter alia hoc quoque interrogari deberet, *num sepulcra mortuorum parentum rite ornasset?* idem, quum omnino ad solemnem ac publicam pietatis testificationem pertineat, haud alieno loco videtur commemorari posse, quando in alia parte officii alioque in genere pietatis quaeritur, quid fas esse existimetur a collegis praestari collegae, erepto nuper e rebus humanis; quem ut minus lugere debeant, liberatum tandem tot vitae extremae incommodis ac doloribus, tanto semet ipsos queruntur magis, orbatos et amicitia et consiliis et auctoritate praestantissimi viri, tum rem publicam non parum afflictam iactura desideratissimi civis. Quin adeo illud, repetitum ex memoria antiquitatis, eo minus hinc abhorrere videri potest, quo certius isthoc mortui honorandi officium iam in tali homine versatur, qui quidem, dum viveret aetate provectior, inter Patres pater ipse et erat et colebatur; cuius igitur vel sepulcrum ornare vel curare memoriam, non solum illius est, quem ut nominis sic virtutis vereque humani animi heredem reli-

[1]) Lib. II. c. 2. §. 13.

quit, imo est omnium, quibus, cur ipsum plurimi facerent atque in parentis loco venerarentur, cum gravissimae causae essent, tum sanctissimum officium. Atque ab hoc quidem sensu profectum est consilium de Henslero patre, nuper nostro, publice dicendi, revocato simul vetere instituto, quod aliquamdiu adhuc intermissum fuit, quo, si quod ornamentum Academia perdidisset, hoc quale fuisset et quam dignum posteritatis memoria, copiosius traderetur: quippe *non hoc praecipuum munus est, prosequi defunctum ignavo questu; sed quae voluerit* (imo, qualis fuerit omnino in vita, quibusque nominibus dignum se bonorum recordatione reddiderit,) *meminisse* [2]).

Philippus Gabriel Hensler natus superioris seculi anno 33. die 11. mensis Decembris in vico Eiderostadico, cui nomen Oldensworth, patre sacrorum ibi ministro, probo viro ac diligente; qui postea Preezam idem ad munus vocatus, mox in medio cursu annorum praematuro fato ablatus est. Uxorem post se reliquit viduam cum sex liberis, tribus filiabus totidemque filiis: quorum filiorum natu maximus olim Noster, tum novem annorum puer, primum domi, idque ne mediocriter quidem, est institutus, deinde traditus in publicam disciplinam, qualis tunc erat in scholis Husumensi et Slesvicensi, ad vicesimum usque aetatis annum in literarum imprimisque humanitatis, initiis flagrantissimo studio elaboravit. Praeerat illo tempore Lyceo Husumensi Krafftius: cuius quidem

[2]) Verba morientis Germanici apud Tacitum Annal. l. II. c. 71.

viri memoriae tantum semper Henslerus tribuebat, ut, quantopere eius et solertia et fide in literarum rudimentis adiutus esset, crebro ac perlubenter commemoraret. Scholasticam rationem erudiendae iuventutis tunc minus elegantem et fere angustam, severiorem et plerumque morosam in scholis disciplinam fuisse, ipsa istorum temporum conditio satis arguit. Nunc sunt aliter quidem pleraque. Quanquam non praetermittendum videtur, in Nostro similibusque viris, quorum multo parcior hodie proventus est, utilitatem priscae disciplinae saepe mirificam extitisse.

Egestatis causa Henslerus iuvenis Theologiae, si minus animum et voluntatem applicabat, sed studia tamen operamque debuit applicare. Contulit autem se Gottingam: ubi frequens auditor Moshemii, ut praeclarissimi Theologi benevolentiam varie ac multum expertus est, ita gratam eius et iucundam memoriam, quamdiu vivus ipse esset, fideliter retinuit. Erant tum inter doctores Gottingenses duumviri doctissimi ac recenti laude iam primum efflorescentes, C. W. F. Walchius et I. D. Michaelis, ex quorum Noster familiaritate optimos imprimis fructus retulit. Alter etiam Michaelis, quanti Henslerum, sibi ab ingenio aeque ac doctrina probe interiusque spectatum, aestimaret, posthac non solum per epistolarum commercium, sed publice etiam, de eius scriptis referens, multis modis testatus est: et declaravit omnium honorificentissime per aliam occasionem; qua de re postmodum dicetur loco suo.

Iam quum satis in disciplina profecisse visus esset, repetiit patriam, atque operam domesticae institutioni navavit, primum in Dania, mox apud Holsatos. Hic in maturiore aetate iam constitutus, quod vitae genus semel ingressus erat, moleste ferens, mutato consilio, sed re bene ponderata, cursum academicum iteravit; sicque reversus ad Georgiam Augustam, ad illa studia tandem accessit, quibus maxime aptum ac prope natum ingenium postea facto satis probavit et gloria, quam insignem mox consequebatur. Scilicet quum iam antea per tres annos in celeberrima Hannoveranorum Academia commoratus esset, nunc ibi etiam bienne spatium impendit studiis Medicinae. Hoc admodum breve quidem, si cum ingenti ambitu studiorum comparetur: at illud suppeditabat viro, qui cum vario doctrinae apparatu, ad omnem disciplinam utilissimo, propriaque et ingenii facilitate et industria nunc iudicandi etiam subtilitatem solertiamque coniungeret. Atque hic quidem mirabiliter apparuit, quantum valeat ad disciplinam *pectus* multis literis *bene praeparatum*, quum in magna temporis brevitate Noster, quo cursum ingenii direxisset, celerrime perveniret. Audivit tum nobilissimos medicos, Vogelium, G. G. Richterum et Roedererum; a quo ipse praecipue dilectus, mox aegrotis, quos ille curabat, adeundis et invisendis est adhibitus. Accedebat artis exercendae excolendaeque opportunitas rara, quum ea ipsa tempestate belli septennis a Franco-Gallis nosocomeum laborantibus et vulneratis militibus ingenti apparatu instructum esset Gottingae. Hic pluribus cum viris vivebat familiariter propter studio-

rum atque artis, in quam illi aeque incumbebant, similitudinem; inter quos postea plurimum inclaruerunt, praeter Waglerum, pridem defunctum Brunovici, Wendtius Erlangensis, A. G. Richterus et Wrisbergius Gottingenses; denique Wichmannus. Aliorum ex aliis classibus, quorum consuetudine Henslerus tum utebatur, parum attinet nomina expresse proferre, quum unum adsit fere instar omnium Schloezeri clarum nomen. Neque Noster, quum semel esset imbutus liberalibus studiis, sic plane mentem abdiderat in arte, quam profitebatur, ut mitiores ad literas, quod multis saepe accidit, occalluisset. Imo vero, donec non nimis distineretur officiorum multitudine ac varietate, liber curis animus in amoenioribus studiis semper morabatur iucunde. Classicos utriusque linguae scriptores ad Trilleri et Bernardi exemplum diligenter versabat: quibus addidit etiam recentiores literas, Anglorum maxime et popularium; deinde historiarum latiorem cognitionem. Neque poetices expers fuit: carmen didacticum, inscriptum Krafftio, praeceptori suo, extat editum a. 1758.; atque alia scripta recitabat interdum in consessu Societatis Germanicae, cuius ipse sodalis erat. Sed quod coleret imprimis studia humanitatis, praeter nativam liberalitatem ingenii, fecerat non solum Theologia, quae vitam ac vires ex his studiis haurire debet; imo et fecit tunc ipsis medicis probata ratio studiorum, quibus nondum Brownius erat alter Hippocrates; quum adeo iure affirmari posset, quod post alios complures affirmavit Gesnerus [3]), assertores et statores elegan-

[3]) In Praelectionibus ad Isagogen. T. I. p. 103.

tioris literaturae inter medicos quaerendos esse. Scilicet hoc fuit, credimus, illa aetate, quando etiam Krügerus vix totam effugeret inertiae, qui primus omnium per universam prope Europam ausus est medicas disciplinas docere patrio sermone: quippe Latine docendi morem medici etiam diutius reliquarum doctrinarum professoribus retinuerant.

Sic quidem Henslerus tunc Gottingae iam satis, qualis mox futurus esset, ostendit. Incidit in illa tempora apparatus nobilissimae profectionis in Arabiam, cuius Hafniae capta consilia, iubente Rege Friderico V. ac suadente Regis amico, Bernstorffio, cum maxime fervebant. Qua in re quanta Michaelis Gottingensis auctoritas extiterit, ignotum est nemini. Requirebatur inter reliquos itineris socios medicus: sed de hoc quoniam sero coeperat cogitari, Michaelis consuli non potuit. Ille vero, quem unum, si ad arbitrium suum res redisset, fuisset expetiturus, suo quidem iudicio omnium, quos noverat, longe dignissimum, ultro deinde atque amplissimis verbis in publicum testatus est. Henslerus noster is erat, magno viro diu carissimus, idemque praestantia ingenii et scientiae iam tum Gottingae valde insignis: de quo quid iudicaverit recti vir et acris iudicii, clarissimus Orientis interpres, constat e notissimo testimonio, quod senex candide prodidit *).

*) Verba prostant in Vita Michaelis, a se scripta, p. 72. » Einen Medicus hätte ich vielleicht verschaffen können; ich darf nur den Nahmen dessen nennen, auf den mein Gedächtniss den ersten

Interea redire Noster in patriam cupiens, ad summos in arte honores consequendos se accingebat. Quae quidem res, in multis vilissima, in Henslero paene mirabilis fuit, quum brevissimo spatio temporis latissimum spatium studiorum emensus, iam talem se et scribendo et de scriptis Roederero praeside respondendo praestaret, ut nemo tum Gottingae esset idoneus existimator, quin, in quo tironem, quamvis strenue agentem, exspectasset, in eodem veteranum se et legisse et audivisse lubentissime confiteretur. Nimirum vigebant tunc medicorum quaestiones et contentiones de insitione variolarum; res nova, agitata, ut fit, diversis utrinque iudiciis, prudentissimum vindicem habebat Nostrum; qui edita *Tentaminum et Observationnm de morbo varioloso Satura* doctissimorum censorum suffragia maximo merito suo reportavit [5]). Fuit hic tanquam prodromus praeclari operis epistolici, concilio procerum Galliae, quod Parisiis tunc erat, inscripti, quo tribus annis post idem argumentum, sed duobus voluminibus multo copiosius, pertractavit, graviter simul refellens speciosas multas rationes adversariorum, imprimis De-Haenii, medici Caesarei longe clarissimi; atque id quidem summa cum laude inter aequales.

Augenblick gefallen seyn würde, *Hensler*, der damals in Göttingen studirte. Wäre der mitgereis't, — was hätte man von einem solchen Genie für Entdeckungen zu erwarten gehabt!« Scripta haec sunt anno 1790.

[5]) Vide Vogelii Nov. Biblioth. med. Vol. VI. p. 169 sqq. et Recens. literar. Gotting. a. 1765. p. 305.

Iam in patriam redux medicinam factitare coepit Preezae. Inde ad obeundum munus Physici, quem vocant, Segebergam translatus (1763), primum complures per annos, quum esset officiis obrutus, duriore fortuna et ingrata victus quaerendi molestia conflictatus est: quandoquidem ipsi, ut late per pagum eius opera poscebatur, non dabat Galenus opes. Duxerat huc Preeza uxorem, Christinam Luciam Krameriam, cum filio, Christiano Gotthilf, nunc superstite Collega coniunctissimo, Theologiae ordinario Professore; crescebantque domesticae curae aucta domo tribus deinceps natis liberis, altero filio, Hieronymo Friderico Philippo, ac duabus filiabus. Quibus curis fortiter resistebat animus de statu nunquam deiectus, ac potens usque sui, quod aderat, prudenter compositurus. Quin adeo literis vacare, atque ex ipsis studiis ducere levamina curarum, pergebat hilariter. Accedebat ad animi recreationem suavis horti amoenitas, quem industrie et cum voluptate colendo otiosae horae fructum lubenter captabat. Reficiebat se quoque, sed parce, consuetudine amicorum, Ahlemanni imprimis, ecclesiae Praepositi, atque Ehlersii, isto tempore scholae Segebergicae Rectoris, postea Professoris Kiliensis. Hicque venit in notitiam illustrissimi Comitis de Bernstorff, quum is Regi socius electus in itinere per Holsatiam, Segebergae commoraretur. Factum deinde, ut, quum medicus circumspiceretur, qui posset comes adiungi Regi ad exteros peregre profecturo, inter duo unus rogaretur Henslerus. Sed praelatus est alter, Struenseeus; quem evectum inde ad ingentes honores, posteaque praecipiti casu oppressum tristis loquitur historia.

Insequuta autem mox alia fortunae conversio, qua Noster et Segeberga, et ab amicis et ab horto suo avocatus, concessit Altonam (1769), demandata ei Physici ampliore provincia, tum in hac urbe, tum in Pinnebergico principatu et comitatu Ranzaviensi. Iam ex hoc tempore constitutus velut in maiore theatro, tanto magis nomen ac famam poterat extendere. Altona tunc habebat I. A. Unzerum: attamen is iam aliquanto ante medendi officiis abdicare se meditatus erat. Huic Henslerus nunc quodammodo succedebat; et quum a multis magis magisque postularetur, indies crescebat fama, fides et auctoritas confirmabatur; vocabatur saepe a vicinis, interdum ab Hamburgensibus; Altonam adibant exteri, qui Henslerum consulerent: nomen et celebritas undique sparsa. Neque id mirum profecto: etenim sive ingenium in medico spectes, sive doctrinam, seu malis humanitatem, comitatem, modestiam, nemo erat, quem anteferre Nostro licuisset, perpauci, quos comparare: ut, si quis fingere perfectam medici imaginem vellet, is esset satis habiturus, Henslerum descripsisse. Tenax officii religiosissime, quaecunque moliretur, huic tribuit omnia; ad hoc, quidquid ageret, retulit; nihil ad ambitionem, avaritiam, vel ostentationem: a qua longe refugiens animus nunquam patuit cupiditatibus vulgi. Comitas et humanitas summa erat: ut, qui medendi artificem expeterent aegroti exspectarentque, simul et amicum et auctorem, non solum remediorum, sed solatii etiam, nanciscerentur, atque amorem pariter ac reverentiam perpetuo plerumque servarent. Inde etiam factum est, ut ipsum inter et collegas nulla unquam

simultas esset, eiusque maxima semper cum reliquis medicis, Altonanis et Hamburgensibus, obtineret concordia. Denique, ut brevi omnia complectamur, medicorum, quotquot Altona unquam habuit, nemo Henslero magis dilectus fuit, nemo felicior.

Enimvero hos intra fines, quamvis eos satis amplos, non continere sese potuit neque voluntas viri, neque ingenium. Sed quanta ille contentione ac religione medicis officiis omni ex parte satisfecit, tanto studio simul publice, pro eo, quod gerebat, munere, sanitatis curam ac valetudinis, utcunque poterat, adiuvit. Quin etiam pro patria, cuius maximus in ipso amor erat, quibus modis licebat, studiosissime laborabat. Sic quum nosocomeum Altonae instituendum instruendumque esset, hic ingens Nostri et fides eluxit et auctoritas. Coepta erat parari nova Pharmacopoea Danica: assumtus Henslerus in laboris societatem; cuius rei ipsa operis praefatio testis est. Tum alia quaestio de mutanda ac novis consiliis accommodanda re monetaria patriae varie tentabatur. Habuit ea res plurimas difficultates ac dubitationes sat graves: quibus Noster allectus, rationibus acute et prudenter subductis, scriptum edidit, frugis optimae plenum, in quo, quid convenientissimum videretur, magna cum laude peritorum, etiam dissentientium, exposuit. Haec posthac aliter quidem placuerunt: at vero integra stat Nostro gratia, publicis commodis, etiam in aliena re, bene consulere cupienti. Neque, ubi aliquis bonus civis extiterit, eventu magis, quam voluntate, censeri debet: et saepe optima sunt, quae facillime frustrantur.

Sed his atque aliis (nam omnes enumerare parum attinet) distractus curis et occupatus, tantum abfuit, ut literarum studia intermitteret, ut, quidquid otii vacuum negotiis relinqueretur, tum libris legendis ac scribendis impenderet, tum consumeret assidue communicando cum viris in diversis generibus scientiae claris. Erat ipsi cum plerisque sua aetate excellentibus medicis vel parcius vel frequentius commercium epistolarum: erat cum Baldingero, Bergero Hafniensi, Grunero, Wichmanno, Zimmermanno, aliis permultis; fueratque iam prius cum celeberrimis viris inter Anglos, Gallos et Batavos, cum I. Huxhamo, La-Condaminio, P. Campero, aliis. Amicitias, consuetudines, vicinitates, aliorum etiam diversis nominibus clarorum virorum, qui tum Altonam maxime et Hamburgum, atque vicina loca illustrabant, vel hodieque illustrant superstites, amanter colebat, cum iisque mutuo usu familiaritatis varie iungebatur. Longum est, nomina recensere multorum, quos et ipse amabat, et a quibus amatus vicissim est. Habuit inter amicos praecipue Ahlemannum, venerabilem virum; quo mortuo pergrave Nostro desiderium carissimi amici relictum est: habuit Albertum, Büschium, Claudium, Duschium, Ebelingium, Klopstockium, Reimarum, Vossium, tunc Wandsbeckii otiantem; nec minus Schönbornum et Sturzium, utrumque aliquamdiu Hamburgi commorantem; Basedovium quoque et Lessingium: quorum pro se quisque, quantum debebant, Henslero tribuerunt. Atque is omnino talis fuit, quem quilibet, ut erat ipse prudentior, sic magis putabat plurimi faciendum.

Familiaritas accedebat nobilium, hominumque non virtutibus minus, quam natalium splendore conspicuorum, qui collata in Henslerum benevolentia, hunc insigniorem etiam reddere voluerunt. Altonae tunc vivebat generosa Stolbergiorum mater, de stirpe Castellia: huic valde carus Henslerus, mox et filiorum illustrium et totius domus Stolbergiae favorem amicitiamque, donec viveret, retinuit integram. Nec minus utrumque Bernstorffium cepit humanitate et doctrina; alterum, avunculum, quum, pulsus honoribus, Hafnia decedens, privatus degeret Hamburgi; alterum, illius ex fratre nepotem, avunculo parem laudibus ac meritis; quem olim, quum Gottingae studiorum causa esset, primum cognoverat; a quo admissus deinde ad interiorem necessitudinem, huic in multis rebus fidem et consilia egregie approbavit. Quare est factum, ut, quando graviores suorum morbi solicitum Bernstorffium haberent, ter propter hoc expetitus Hafniam Noster profectus sit: quartum denique multo post, quum ipse magnus vir et immortalis extremo morbo vehementer affligeretur (1797). Ex quo ille non assurrexit: adstititque Henslerus morienti. Fuit etiam Altonae, quum notitiam nancisceretur illustrissimorum Comitum de Reventlow: quorum natu maiorem, Caium, posthac dignissimum Amicum Regis atque civilis regiminis Ministrum patria vidit; alterum, Fridericum, antea aliis muneribus praecipua cum laude functum, patria literarum Universitas nunc Curatorem habet. Hi quidem nobilissimi fratres, Henslero quid observantiae, quid auctoritatis tribuendum esset, sic usque ad funus tribuerunt, ut dubitari

queat, magisne gloriosum existimetur Henslero, Reventlowiis carum fuisse, an Reventlowiis, Henslerum amavisse.

Interea eius animus totus erat in caritate suorum, duorum fratrum, triumque sororum; quibus mirum quantum devinctus concordia et comitate, in utraque mansit ad ultimum diem. Fratrum alterum, Petrum Wilhelmum, haud ignobilem poetam, dilexit praecipue, eiusque Carminum editionem post mortem curavit. Vacabat etiam iuvenibus, quos iuvare, quibusque prodesse, quum semel dignos cura sua cognovisset, quomodocunque poterat, annitebatur. Matthisono, clarissimo poetae, tunc in historicis studiis occupato; Müllero, non contemnendo philologo, Platonici Ionis editori, et qui meliora etiam pollicebatur, si minus mature et studiis et Gymnasio Altonano ereptus esset, cum insigniter favit, tum profuit plurimum, ut adeo, quorum ingeniis ac studiorum progressu delectabatur, eorum in gratiam, quos libros sibi necessarios desiderarent, his protinus augeret copias bibliothecae suae. Ipse, quod poetam, quod philologum imprimis amplectebatur, hoc satis prodidit, quam liberalis studiorum aestimator esset.

Regis et procerum benevolentiae significationem atque adeo meritorum praemium aliquod nactus erat, utpote impertitus Regii Archiatri honore (1775). Deinde, quum iam latius nominis iusta existimatio dimanasset, invitatus Gottingam ad suscipiendam professionem artis, etsi res satis honorifica acciderat, a vitae tamen,

quam instituerat, utilitate variaque iucunditate consuetudinis non est passus se divelli. Interim autem annis vergentibus in senectutem, quum bonae valetudinis fructus varias ob causas, praesertim perpetuitate laboris, crebraeque, nocturnae interdum, profectionis molestiis accipere detrimentum coepisset: orta inde infirmitas corporis diversas paulatim rationes afferebat. Quamobrem multis post annis evenit, ut oblatum sibi professorium munus in nostra hac Academia noluerit recusare. Nimirum, maximus, quo semper et patriam et suos complectebatur, amor eum Kiliam traxit potissime. Hic inde ab a. 1784. optimus filius, Christianus Gotthilf, sacras literas privatus docebat, mox Theologiae Professor praeter ordinem creatus. Nunc Henslerus uterque, pater et patre dignissimus filius, simul uno eodemque et anno et die, ordini, Medicorum ille, hic Theologorum, sunt adscripti (1789). Quod facile intelligi potest, non fortuito accidisse, sed virorum, penes quos erat tum cura Academiae, prospicientia et humanitate; quae quam pulcra hic apparuerit, paternam gloriam cum filii meritis atque iusta maiorum etiam meritorum spe sic coniungendo, monere nihil opus est.

Iam vero alius cursus ingrediendus, alia vivendi ratio Henslero ineunda fuit. Ut adhuc versatus in luce erat atque in vitae occupatissimae varietate, ita nunc quasi in umbram secessit literariae tranquillitatis. Verum in utroque genere talem se gessit, ut difficile sit iudicare, fueritne arti docendae magis an factitandae viri natum

ingenium. Scilicet, quam solertiam, fidem et dexteritatem in medendo adhuc tam praeclare ostenderat, eandem nunc etiam in docendo similiter ostendebat. Itaque ad hoc munus, uti par ipsi videbatur, gerendum, medica officia parce tantum et nonnisi notis sibi iam prius, concedebat; rarius exteris, de rebus ad artem pertinentibus consultus, respondebat; totum se ad amplissimas rationes docendi componebat. Desiderabatur tum etiam fructuosa suo tempore opera Bergeri; iam commodum advenit Noster, egregius collega Weberi, patris, haud uno nomine bene meriti viri. Scholas habebat diligenter et perquam assidue: saepe, valetudinis difficultate quum impediretur, congregari auditores ad lectulum iussit, coronaque circumstante de lectulo docuit. Atqui hoc fecit, ferme sexagenarius senex: quem quid putabimus facturum fuisse, si florentibus annis ac vegeta vi corporis ad cathedram accessisset? Sed quascunque docebat plurimas partes scientiae suae [6]), meditatus valde accurate, plene et perutiliter tractabat omnes; quantum doctrina, quantum socia doctrinae experientia in medendo efficiatur, hoc, qui ab utraque esset instructissimus, demonstrare nemo

[6]) Docuit Anthropologiam; Physiologiam; Pathologiam; Diaeteticen; Therapiam generalem et specialem; Therapeuticen naturae s. naturae medendi rationem; Politiam medicam et Medicinam legalem; Historiam artis medicae, et Literaturam; tractavit denique doctrinam morborum chronicorum et impurorum. Commentarios, praelectionibus suis diligentius scriptos, bene multos reliquit, quorum aliquot ipse voluit in publicum edi: atque isti edentur quidem suo tempore.

poterat perfectius. Bonum medicum non agnoscens, nisi qui pariter vir bonus esset, et probitatem humanitatemque ad artem ac scientiam adiungeret, eundem sensum communicare cum auditoribus impense studebat. Disciplinas, quas medico docto haud omittendas arbitrabatur, admodum studiosis commendabat: ut Philosophiam, Mathesin, Physicen, Chemiam; et, si qui essent iuvenes laetioris ingenii atque capaces elegantioris cultus, hos etiam ad gustandas humanitatis literas cognoscendamque divinam antiquitatem, cuius ipse summus amator erat, liberaliter invitabat. Denique suum ducebat maxime, studia adolescentum, imprimis auditorum, quacunque posset ratione, iuvare ac sustentare; ut nemo esset, quem, quum consuleretur, non saluberrimis consiliis promte instructum dimitteret, nec, si compellatus esset, copiis suis subsidiisque benignissime impertiret.

Praeter haec alia etiam officia afferebat munus ordinarium Professoris; neque, si quaedam insuper ipsi mandata essent, defuit vel assiduitas vel diligentia perficiundi: quippe nec dilator malus, nec perfidus tergiversator, in quaque exsequenda re ut prudentissimus, sic acerrimus actor semper extitit et in utraque parte nobile exemplum imitaturis. Magistratum academicum semel gessit; ter collegii sui Decanatum: quem quum postremum deponeret senex, scripto Programmate *De herpete s. formica veterum* (1801) praestitit obedientiam legi, ex qua cedentes de provincia Decani proposito scripto rerum inter munus factarum reddere rationem

debent: quippe dubium non est, vix satis bene consuli literariis institutis hoc inerti silentio, quod ipsas olim Amyclas perdidisse narratur [1]). Adscriptus in triumviratum, ad quem post mortem Christiani, boni ac diligentis viri, delata est cura Bibliothecae academicae, commodis publicis, quantum ad semet ipsum pertineret, hoc quoque in genere prospexit plerumque bene.

Sed ultra septuagesimum annum aetatis provectus, ecce novam in scenam prodiit, quae actorem integris viribus et Hensleriana dexteritate postulabat. Nam iussu Augustiss. Regis anno demum 1804. constitutum collegium tuendae sanitati per ducatus Holsatiae et Slesvici: Collegium Sanitatis vocant. Huic moderando Noster praefectus, alacriter rem aggressus, in ea tanto cum studio et ardore versatus est, ut iuvenis vix potuisset magis. Dico, cum ardore. Erat enim in hoc viro singularis quaedam animi elatio, et prope quiddam divinum, tanquam vis ignea, laete coruscans, quotiescunque praeclarum aliquid proponebatur, ad quod perficiendum conferre aut consilia poterat aut ipse operam accommodare. Et nunc quidem patria videbatur velut ultimum officium repetere ab optimo cive, ipseque fere postremum debere exsequi Regis iussa, satisfacere exspectationi principum in civitate virorum, explere spem ac vota popularium. Quid mirum? Fecit Henslerus, quod unus omnium maxime poterat, remque suo more, hoc est,

[1]) Res facta, quae abiit in proverbium de taciturnitate intempestiva: vide ad Virgil. Aen. X, 564. et al.

tam scienter quam vigilanter, administratam per novem menses, sed impeditus, quo minus diutius administraret, valetudinis iniquitate, sic reliquit, ut ab ipso probe incepta ac fundata magnam semper apud posteros gratiam habitura videatur.

Hac tanta munerum et laborum varietate distractum, permultisque etiam officiis humanitatis atque amicitiae retentum, facile quisque existimet, non multum laborare potuisse de edendis libris. Quanquam famam quaerere scriptoris, ne necessarium quidem viro fuit, cuius monumenta ingenii scientiaeque iam antea extabant satis multa et celebria *). Verum tamen inchoatum clarissimum opus, quo historiam difficillimam morbi Gallici, novo plane instituto, tractare coeperat, mediam inter multitudinem occupationum nunquam prorsus dereliquit: imo id sedulo continuatum, testatur materia satis larga, absolvendo operi collecta asservataque in adversariis. Quo in opere pertexendo quid fuisset praestiturus, si otium suppetisset, prostat speciminis loco commentatio in Symbolis Sprengelianis *), quam editor celeberrimus sic se scripsisse professus est, ut communicata secum ab Henslero argumenta sua ipsius opera digereret et explicaret.

*) Copiosum scriptorum indicem, paulo etiam augendum, suppeditabit loco suo notus liber Kordesii nostri.

*) Inscripta *Ueber den muthmasslichen Ursprung der Lustseuche aus dem südwestlichen Afrika*, in sylloge egregia *Beyträge zur Geschichte der Medicin von C. Sprengel.* Vol. I. fasc. 3. Habes professionem editoris in Praefatione.

Sed ut tempus non sufficiebat scribendis libris, ita ad colligendos librorum apparatus nullo tempore nec operae pepercit neque impensis: et quum iam pridem Altonae bibliothecam instruere liberalibus sumtibus incepisset, hanc, quamdiu Kiliae vivebat, singulis annis lautis accessionibus insigniter amplificavit. Hic fecit omnino, ut vere dici videatur: Noscitur e bibliotheca homo. Nam, qui medicinam universam agendo non magis quam docendo complectebatur, copias librorum plenissimas ad singulas disciplinae partes comparaverat prudentissimo delectu. Nec minus tamen alia complura studia, philosophica, antiquaria, historica assumebat, quo, velut ad hospitium, ad exhilarandum se per laborum intervalla deverteret. Igitur his quoque studiis aptam conquisiverat supellectilem librorum. Addidit mapparum orbis notitiae inservientium amplissimam collectionem. Illum quidem comparatum a se thesaurum ac magis magisque locupletatum haud parum amabat; sed summa etiam facilitate concedebat aliis ad usurpandum. Itaque bibliotheca Hensleria, ut publica, patuit omnibus. Vix satis dici potest, quantopere vel hoc uno nomine literarum studiis atque adeo Academiae profuerit liberalissimus vir. Ad extremam usque vitae metam vix abiit dies, quin aut laboribus fessus aut dulce laborum interstitium quaerens unam alteramque horam inter pluteos consumeret. Ibi excurrere per latos campos literarum; flores undique decerpere; libros ex diversissimis doctrinae generibus evolvere; classes disponere; adscribere passim notata de auctore, de editionibus, alia huiusmodi; denique percontari,

quid ad complendum apparatum desiderari hinc illinc posset. Quin ne morbus quidem, nec dolores ab hac bibliothecae suae accuratione librariaeque supellectilis cultura eum poterant abstrahere. Et nos vidimus identidem, (vidimus, et iuvabit meminisse!) quum vir annis gravis magisque etiam gravatus morbo, dum parumper dolores remitterent, sedebat, quasi reviviscens, in *bibliotheca*, modo hunc, modo illum librum, quem apte signabat, quo inveniretur, reposcens; quem dum aegre tremula teneret manu, sic varie disserebat, ut, non senem, nec aegrotantem, sed *iuvenem*, sed vigentem audire tibi videreris.

In prioribus annis habitationis Kiliensis duplex supervenit clades domestica. Fecerat iam multo ante Segebergae iacturam optimae spei filiolae, vix quidem quadrimae, sed quam ereptam sibi tulit peracerbe, nec raro etiam sera aetate dolenter est recordatus. Iam autem gravius vulnus inflictum animo parentis, quum ereptus esset alter filius, natu minor, qui in patris arte patrem aemulatus, et vix aggressus novum, idque exoptatum munus, septimo et vigesimo anno aetatis obiit, patri flebilis et coniugi relictae. Alia deinde orbitas insequuta, mortua uxore. Sed aerumnosi *morbi* diuturnitas, instantis mortis praenuntia, fecit levius hoc detrimentum. Huius gratam tamen memoriam semper tenuit propter morum probitatem.

Ipse vero corporis valetudinem, paulatim plus affectam, ingravescentibus annis, valde iniquam tandem habere coepit. Causa

haec fuit, cur, blande evocatus Hafniam ad accipiendum pergrave munus medici in Regia domo, neque suis ipsius neque alienis votis potuerit respondere. Arthritide vehementer tentatus, iam semel in morbum haud levem inciderat. Accessit posthac molestissima ducendi spiritus difficultas, qua coepit etiam atque etiam laborare. Is quum iam antea subinde peregrinando valetudinem redintegrasset, nunc cepit longioris profectionis consilium, idque prima aestate seculi huius ineuntis est exsequutus. Placuit adire Germaniae regiones montanas, implereque pulmones haustu tenuioris aëris. Adiit saltus Hercynios, montuosaque loca Rheni. Inde post quatuor vel quinque mensium commorationem in patriam redux factus, cum coeli alieni clementia tum salubri corporis agitatione, quam profectio attulerat, mirifice recreatum se levatumque sensit. Exceptus hospitio, quocunque venerat, benigne ac reverenter, voluptatem etiam ex familiaritate aut notitia multorum praeclarorum hominum perceperat non mediocrem. Atqui Noster omnino is erat, quem continuo quisque humanior, ut viderat primum audiveratque, non poterat non recipere in gratiam ac favorem: homo affabilis, urbanus, habitu corporis et gestu concinnus, generosum quiddam et ingenuum facie, vultu, sono, prae se ferens, temperatum illud comitate ac suavitate; denique oratione non solam promta ac fluente, sed distincta etiam novitate quadam in usu verborum: quique adeo non solis medicis, quibus aliunde ac satis propter nominis claritatem notus erat, quum praesentem viderent, sui maiorem etiam reverentiam iniiceret, sed quo philoso-

phus et philologus, et quisquis eruditus esset, peraeque delectarentur. Haud erit invidiosum neque Manibus candidissimi viri, neque nobis referentibus, ipsum, quum Hannoverae, Gottingae, Gothae, aliis in locis, partim veteres amicitias instaurasset, partim novas notitias collegisset, ex iis, quibuscum arctiore studiorum ac professionis vinculo coniungeretur, Curtii Sprengelii et Soemmerringii, clarissimorum virorum, gratam inprimis amicitiam recordationemque retulisse.

Valetudo, dubia quidem et interdum affecta, ex eo inde tempore mansit tamen utcunque tolerabilis, donec annus ingruebat, ante obitum postremus, graves ex longo morbo cruciatus, deindeque vitae ipsius, multis carae, damnum adducens. Scilicet, quam iam antehac sibi inimicam habuerat arthritidem, ea nunc facta incongrua, pristinum asthma cum spasmo excitarat; inde maximi exorti dolores, quibus perferendis maceratum senile corpus prope impar erat, vires pedetentim exhaustae vix sufficiebant. Rara aegrotationis intervalla, rara intercapedo molestiae: attamen integra atque inconcussa firmitas mentis et ingenii. Iam euntibus in consilium collegis, viris probatissimae et doctrinae et experientiae, reditum est ad prius remedium peregrinationis, captumque consilium repetendi itineris in terras mitioris coeli. Suscepta ipsa profectio sub initium aestatis; at spes irrita facta: vix Altonam advenerat, quum denuo morbi vehementia correptus prorsus affligeretur, moxque aliquantum levatus cogeretur reverti. Sociam pro-

fectionis habuerat nurum, instar filiae dilectam, a qua patris in loco colebatur vicissim. Hanc, dum vidua esset, amisso marito, quem supra commemoravimus, Hensleri filio altero, secum habuit domi per tredecim annos, feminam probam, prudentem, summa constantia. Interim spes renovandi itineris necdum abiecta: quin id rursus coepit moliri, sed dilatum in proximum autumnum. Quae dum agebantur, ubi per intervalla remittere vim dolorum sentiebat, saepe arcessiri ad se iussit omnium ordinum collegas, et eos quidem, quibuscum agere familiarius solebat. Hic multum mirati sumus singularem vim et magnitudinem animi, in summa corporis infirmitate gravissimique mali pertinacia plane invictam: quum homo senio ac morbo confectus, et per plures menses sellae velut affixus, intentum ad quemlibet sermonem teneret animum, ac saepe ipse excipiens vetera et nova pari alacritate disputaret. Incidebat nupera atque ea inaudita calamitas Germaniae ex recentissimo bello; minantes, sed frustra, Gallis magni exercitus intra paucos, non menses, sed dies circumventi, fusi ac deleti; arx Austriaci imperii capta: reliqua quis nescit? Inter haec Noster, rebus omnibus curiose intentus, de iis, et quae gerebantur et quae melius gerenda essent, crebro atque sagaciter disserebat: sic ut conditio rerum publica, ad desperationem adducta, tanquam latentes vitae igniculos ex anima moribundi elicuisse videretur. Venerat Kiliam novus ille cranioscopus Vindobonensis; publicas acroases pro more indixit, easque deinde habuit satis magna auditorum frequentia. Opinionum solertissimum exploratorem habuisset Henslerum, hic

si potuisset auditionibus interesse. At vero ex iis, qui interfuerant, quid novi singulis horis audiissent, sedulo exquirere; rem miram, neque certam, sed altiori indagatione admodum dignam, curae habere; varie de variis rebus, illuc pertinentibus, sententiam ad amicos exponere. Similiter quidquid novi praeterea sive in literis sive alibi, ex eo genere, quod maxime ad se pertinere arbitrabatur, acciderit, hoc respicere, huc dirigere cogitationes, etsi vehementer aegrotus ac vexatus molestia, nunquam desiit. Tanta tamque vivida vis ingenii, tantus animi vigor, relictus in sene, in aegroto fuit!

Neque minor tamen virtus fuit magnique animi testis patientia. Singulas nunc intermittentis nunc magis ingravescentis mali vicissitudines ac mutationes in se ipse diligenter animadvertens, nunquam ad querelas aut lamenta delapsus est, atque fortis incredibilem in modum, quae corrigi haud licebat, toleravit aequo animo. Inter haec summam piae mentis fiduciam ponebat in Deo, in conscientia integritatis, in certissima spe melioris vitae post mortem futurae. Victus tandem naturae imbecillitate, obiit diem supremum trigesimo primo Decembris anni praeteriti, hora matutina. Corpus exanime elatum modica pompa funeris, comitantibus illustribus amicis, Reventlowiis fratribus, et collegis plerisque. Mors omnibus tristis annuntiata, ut mos est, de loco publico, brevi, quam dolor expresserat, significatione [10]. Cognita est post mortem extrema volun-

[10]) Formula ita concepta: »Prorector et Senatus officio perfungi iam debemus, eheu! doloris, tristitiae, luctus pleno, scilicet, quod

tas, qua ita prospexit patriae, ut, elapso tempore praefinito, maiorem partem facultatum ex hereditate iusserit aliquando erogari in adiumentum studiorum artis selutiferae, quam ipse, dum viveret, non modo est professus, sed quam multo magis etiam cum amplificavit ingenio, tum ornavit honestate.

Iam exaruerunt quidem lacrimae, quas in funere viri immortalis profudimus; iam valet istud, quod, oratione ad mortuum Agricolam conversa, Tacitus [11]) generoso cum sensu doloris ponit: — »placide quiescas, nosque ab infirmo desiderio ad contemplationem virtutum tuarum voces; quas neque lugeri, neque plangi fas est: admiratione te potius, quam temporalibus laudibus, et, si natura suppeditet, aemulatione decoremus.« Ac sane quam

par est, publice significandi iacturam, quae, iam diu imminens, accidit tandem sub diluculum hesternae noctis; acerba bonis omnibus, Academiae ac literis et adeo humanitati gravis, nobismet ipsis deploranda maxime. Obiit atque meliori vitae est redditus Is, cuius nullo non tempore mors praematura fuisset, Collega, tot meritis, tot virtutibus et ornamentis inter nos excellens; Vir dotibus ingenii et doctrinae praestantissimus, monumentis clarissimus; eximium decus Patriae, summum Academiae; Suorum praesidium, deliciae; obiit etc. Quem ereptum e mediis rebus et sublatum ex humana conditione, quis non lugeat, quis iustis non prosequatur lacrimis? At quibus et quantis Ille meritis sui tam grave, tam acerbum desiderium reddiderit, pluribus alio tempore dicetur. Nunc id unum perculsis mentibus sufficiat, *Vixit! — et quem dederat cursum fortuna peregit!* atque illud, *Have, beata Anima!*«

[11]) In Vita Agricolae cap. 46.

plurimae atque praeclarae in Henslero virtutes eluxerunt, quarum iustissima admiratio et gloria minime vulgaris incendere imitationem aemulationemque debet. Etenim haec, omnibus consentientibus, virtus fuit, quod a natura habebat, promtissimum ac felicissimum ingenium, id summo cum studio varia et multiplici excultum doctrina, ad maiorem praestantiam ac perfectionem expoliisse et ornasse, illamque praecipuam laudem pulcriorem etiam magisque amabilem et bonitate et nobilitate animi reddidisse; virtus porro, fructuosae vitae diuturnitatem impendisse indagandae veritati, officiis sat multis gravibusque exsequendis, laboribus fortiter tolerandis; constitutum deinde in eo vitae genere et statione, quae illecebris vix caret ad splendida vitia ostentanda, nullam unquam, neque laudem sectatum esse, nisi cum utilitate coniunctam, neque gratiam, nisi merito comparandam; denique valentem apud proceres et optimates auctoritate et consiliis, dignitatem, primum suam ipsius, deinde patriae, ordinis etiam, cui ipse ornamento esset, semper et servasse et sustinuisse; omninoque dignitatis honestatisque non modo studium retinuisse per vitam, sed multo magis ipsa vita expressisse utriusque speciem ac formam.

Atque hac quidem rarissima laudum ac virtutum excellentia et coniunctione satis est profecto consultum piae grataeque recordationi in memoriam sempiternam. Nempe hic veram sibi nominis immortalitatem, quaesitam meritis, comparavit: celebratum insigni fama nomen Hensleri florebit in literis atque in ipso sacrario nobi-

lissimae artis, cui facem praeferens historiae, experientiam locupletantis, novam viam, neque prius tentatam, ad colligendas saluberrimas opes, successu plane incomparabili, patefecit, atque acerrimi, quo pollebat, ingenii existimationem tradidit posteritati [12]) memoria servata pie et amanter remanebit in patria, quam et illustri praestantiae exemplo et multis praeclare factis atque institutis insigniter nobilitavit demeruitque immortaliter. Quid denique dicendum de Academia? Huic certe in perpetuum reliquit acerbum desiderium admirandae virtutis et sapientiae gravissimaeque auctoritatis. Quid de amicis? *Multis ille bonis flebilis occidit!*

[12]) Pronuntiata haec, ut alia nonnulla in superioribus, secundum sententiam honoratissimi et clarissimi collegae, I. D. Brandis: qui quidem, communicatis subtilioribus iudiciis, benigne sic voluit et regere diffidentiam scribentis et confirmare dubitationem.

Pericles in Epitaphio apud Thucydidem lib. II. cap. 35.

Χαλεπὸν τὸ μετρίως εἰπεῖν, ἐν ᾧ μόλις καὶ ἡ δόκησις τῆς ἀληθείας βεβαιοῦται. ὅ τε γὰρ ξυνειδὼς καὶ εὔνους ἀκροατὴς τάχ᾽ ἄν τι ἐνδεεστέρως, πρὸς ἃ βούλεταί τε καὶ ἐπίσταται, νομίσειε δηλοῦσθαι· ὅ τε ἄπειρος, ἔστιν ἃ καὶ πλεονάζεσθαι, διὰ φθόνον, εἴ τι ὑπὲρ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ἀκούοι. μέχρι γὰρ τοῦδε ἀνεκτοὶ οἱ ἔπαινοί εἰσι περὶ ἑτέρων λεγόμενοι, ἐς ὅσον ἂν καὶ αὐτὸς ἕκαστος οἴηται ἱκανὸς εἶναι δρᾶσαί τι, ὧν ἤκουσε.

Difficile est, medium tenere in dicendo, ubi aegre et persuasio veritatis efficitur. Nam qui gnarus est et benevolus auditor, fere tenuius, quam ipse cupiat et sciat, existimabit dictum esse: contra qui est ignarus (et minus benevolus), plus, quam par est, dictum putabit, propter invidentiam, si quid supra suam ipsius naturam audiat. Laudes enim, quae aliis tribuuntur, eatenus sunt tolerabiles, quatenus et ipse unusquisque confidat, aliquid eorum, quae audiverit, semet posse perficere.

Scribebam Kiliae, mense Maio, 1806. Carolus Fridericus Heinrich, Phil. D., Eloqu. Prof. P. O. etc.

---

phus et philologus, et quisquis eruditus esset, peraeque delectarentur. Haud erit invidiosum neque Manibus candidissimi viri, neque nobis referentibus, ipsum, quum Hannoverae, Gottingae, Gothae, aliis in locis, partim veteres amicitias instaurasset, partim novas notitias collegisset, ex iis, quibuscum arctiore studiorum ac professionis vinculo coniungeretur, Curtii Sprengelii et Soemmerringii, clarissimorum virorum, gratam inprimis amicitiam recordationemque retulisse.

Valetudo, dubia quidem et interdum affecta, ex eo inde tempore mansit tamen utcunque tolerabilis, donec annus ingruebat, ante obitum postremus, graves ex longo morbo cruciatus, deindeque vitae ipsius, multis carae, damnum adducens. Scilicet, quam iam antehac sibi inimicam habuerat arthritidem, ea nunc facta incongrua, pristinum asthma cum spasmo excitarat; inde maximi exorti dolores, quibus perferendis maceratum senile corpus prope impar erat, vires pedetentim exhaustae vix sufficiebant. Rara aegrotationis intervalla, rara intercapedo molestiae: attamen integra atque inconcussa firmitas mentis et ingenii. Iam euntibus in consilium collegis, viris probatissimae et doctrinae et experientiae, reditum est ad prius remedium peregrinationis, captumque consilium repetendi itineris in terras mitioris coeli. Suscepta ipsa profectio sub initium aestatis; at spes irrita facta: vix Altonam advenerat, quum denuo morbi vehementia correptus prorsus affligeretur, moxque aliquantum levatus cogeretur reverti. Sociam pro-

fectionis habuerat nurum, instar filiae dilectam, a qua patris in loco colebatur vicissim. Hanc, dum vidua esset, amisso marito, quem supra commemoravimus, Hensleri filio altero, secum habuit domi per tredecim annos, feminam probam, prudentem, summa constantia. Interim spes renovandi itineris necdum abiecta: quin id rursus coepit moliri, sed dilatum in proximum autumnum. Quae dum agebantur, ubi per intervalla remittere vim dolorum sentiebat, saepe arcessiri ad se iussit omnium ordinum collegas, et eos quidem, quibuscum agere familiarius solebat. Hic multum mirati sumus singularem vim et magnitudinem animi, in summa corporis infirmitate gravissimique mali pertinacia plane invictam: quum homo senio ac morbo confectus, et per plures menses sellae velut affixus, intentum ad quemlibet sermonem teneret animum, ac saepe ipse excipiens vetera et nova pari alacritate disputaret. Incidebat nupera atque ea inaudita calamitas Germaniae ex recentissimo bello; minantes, sed frustra, Gallis magni exercitus intra paucos, non menses, sed dies circumventi, fusi ac deleti; arx Austriaci imperii capta: reliqua quis nescit? Inter haec Noster, rebus omnibus curiose intentus, de iis, et quae gerebantur et quae melius gerenda essent, crebro atque sagaciter disserebat: sic ut conditio rerum publica, ad desperationem adducta, tanquam latentes vitae igniculos ex anima moribundi elicuisse videretur. Venerat Kiliam novus ille cranioscopus Vindobonensis; publicas acroases pro more indixit, easque deinde habuit satis magna auditorum frequentia, Opinionum solertissimum exploratorem habuisset Henslerum, hic

si potuisset auditionibus interesse. At vero ex iis, qui interfuerant, quid novi singulis horis audiissent, sedulo exquirere; rem miram, neque certam, sed altiori indagatione admodum dignam, curae habere; varie de variis rebus, illuc pertinentibus, sententiam ad amicos exponere. Similiter quidquid novi praeterea sive in literis sive alibi, ex eo genere, quod maxime ad se pertinere arbitrabatur, acciderit, hoc respicere, huc dirigere cogitationes, etsi vehementer aegrotus ac vexatus molestia, nunquam desiit. Tanta tamque vivida vis ingenii, tantus animi vigor, relictus in sene, in aegroto fuit!

Neque minor tamen virtus fuit magnique animi testis patientia. Singulas nunc intermittentis nunc magis ingravescentis mali vicissitudines ac mutationes in se ipse diligenter animadvertens, nunquam ad querelas aut lamenta delapsus est, atque fortis incredibilem in modum, quae corrigi haud licebat, toleravit aequo animo. Inter haec summam piae mentis fiduciam ponebat in Deo, in conscientia integritatis, in certissima spe melioris vitae post mortem futurae. Victus tandem naturae imbecillitate, obiit diem supremum trigesimo primo Decembris anni praeteriti, hora matutina. Corpus exanime elatum modica pompa funeris, comitantibus illustribus amicis, Reventlowiis fratribus, et collegis plerisque. Mors omnibus tristis annuntiata, ut mos est, de loco publico, brevi, quam dolor expresserat, significatione [10]). Cognita est post mortem extrema volun-

[10]) Formula ita concepta: »Prorector et Senatus officio perfungi iam debemus, eheu! doloris, tristitiae, luctus pleno, scilicet, quod

tas, qua ita prospexit patriae, ut, elapso tempore praefinito, maiorem partem facultatum ex hereditate iusserit aliquando erogari in adiumentum studiorum artis selutiferae, quam ipse, dum viveret, non modo est professus, sed quam multo magis etiam cum amplificavit ingenio, tum ornavit honestate.

Iam exaruerunt quidem lacrimae, quas in funere viri immortalis profudimus; iam valet istud, quod, oratione ad mortuum Agricolam conversa, Tacitus [11]) generoso cum sensu doloris ponit: — »placide quiescas, nosque ab infirmo desiderio ad contemplationem virtutum tuarum voces; quas neque lugeri, neque plangi fas est: admiratione te potius, quam temporalibus laudibus, et, si natura suppeditet, aemulatione decoremus.« Ac sane quam

par est, publice significandi iacturam, quae, iam diu imminens, accidit tandem sub diluculum hesternae noctis; acerba bonis omnibus, Academiae ac literis et adeo humanitati gravis, nobismet ipsis deploranda maxime. Obiit atque meliori vitae est redditus Is, cuius nullo non tempore mors praematura fuisset, Collega, tot meritis, tot virtutibus et ornamentis inter nos excellens; Vir dotibus ingenii et doctrinae praestantissimus, monumentis clarissimus; eximium decus Patriae, summum Academiae; Suorum praesidium, deliciae; obiit etc. Quem ereptum e mediis rebus et sublatum ex humana conditione, quis non lugeat, quis iustis non prosequatur lacrimis? At quibus et quantis Ille meritis sui tam grave, tam acerbum desiderium reddiderit, pluribus alio tempore dicetur. Nunc id unum perculsis mentibus sufficiat, *Vixit! — et quem dederat cursum fortuna peregit!* atque illud, *Have, beata Anima!*«

11) In Vita Agricolae cap. 46.

plurimae atque praeclarae in Henslero virtutes eluxerunt, quarum iustissima admiratio et gloria minime vulgaris incendere imitationem aemulationemque debet. Etenim haec, omnibus consentientibus, virtus fuit, quod a natura habebat, promtissimum ac felicissimum ingenium, id summo cum studio varia et multiplici excultum doctrina, ad maiorem praestantiam ac perfectionem expoliisse et ornasse, illamque praecipuam laudem pulcriorem etiam magisque amabilem et bonitate et nobilitate animi reddidisse; virtus porro, fructuosae vitae diuturnitatem impendisse indagandae veritati, officiis sat multis gravibusque exsequendis, laboribus fortiter tolerandis; constitutum deinde in eo vitae genere et statione, quae illecebris vix caret ad splendida vitia ostentanda, nullam unquam, neque laudem sectatum esse, nisi cum utilitate coniunctam, neque gratiam, nisi merito comparandam; denique valentem apud proceres et optimates auctoritate et consiliis, dignitatem, primum suam ipsius, deinde patriae, ordinis etiam, cui ipse ornamento esset, semper et servasse et sustinuisse; omninoque dignitatis honestatisque non modo studium retinuisse per vitam, sed multo magis ipsa vita expressisse utriusque speciem ac formam.

Atque hac quidem rarissima laudum ac virtutum excellentia et coniunctione satis est profecto consultum piae grataeque recordationi in memoriam sempiternam. Nempe hic veram sibi nominis immortalitatem, quaesitam meritis, comparavit: celebratum insigni fama nomen Hensleri florebit in literis atque in ipso sacrario nobi-

lissimae artis, cui facem praeferens historiae, experientiam locupletantis, novam viam, neque prius tentatam, ad colligendas saluberrimas opes, successu plane incomparabili, patefecit, atque acerrimi, quo pollebat, ingenii existimationem tradidit posteritati [12]: memoria servata pie et amanter remanebit in patria, quam et illustri praestantiae exemplo et multis praeclare factis atque institutis insigniter nobilitavit demeruitque immortaliter. Quid denique dicendum de Academia? Huic certe in perpetuum reliquit acerbum desiderium admirandae virtutis et sapientiae gravissimaeque auctoritatis. Quid de amicis? *Multis ille bonis flebilis occidit!*

[12]) Pronuntiata haec, ut alia nonnulla in superioribus, secundum sententiam honoratissimi et clarissimi collegae, I. D. Brandis: qui quidem, communicatis subtilioribus iudiciis, benigne sic voluit et regere diffidentiam scribentis et confirmare dubitationem.

Pericles in Epitaphio apud Thucydidem lib. II. cap. 35.

Χαλεπὸν τὸ μετρίως εἰπεῖν, ἐν ᾧ μόλις καὶ ἡ δόκησις τῆς ἀληθείας βεβαιοῦται. ὅ τε γὰρ ξυνειδὼς καὶ εὔνους ἀκροατὴς τάχ' ἄν τι ἐνδεεστέρως, πρὸς ἃ βούλεταί τε καὶ ἐπίσταται, νομίσειε δηλοῦσθαι· ὅ τε ἄπειρος, ἔστιν ἃ καὶ πλεονάζεσθαι, διὰ φθόνον, εἴ τι ὑπὲρ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ἀκούοι. μέχρι γὰρ τοῦδε ἀνεκτοὶ οἱ ἔπαινοί εἰσι περὶ ἑτέρων λεγόμενοι, ἐς ὅσον ἂν καὶ αὐτὸς ἕκαστος οἴηται ἱκανὸς εἶναι δρᾶσαί τι, ὧν ἤκουσε.

Difficile est, medium tenere in dicendo, ubi aegre et persuasio veritatis efficitur. Nam qui gnarus est et benevolus auditor, fere tenuius, quam ipse cupiat et sciat, existimabit dictum esse: contra qui est ignarus (et minus benevolus), plus, quam par est, dictum putabit, propter invidentiam, si quid supra suam ipsius naturam audiat. Laudes enim, quae aliis tribuuntur, eatenus sunt tolerabiles, quatenus et ipse unusquisque confidat, aliquid eorum, quae audiverit, semet posse perficere.

Scribebam Kiliae, mense Maio, 1806. **Carolus Fridericus Heinrich**, Phil. D., Eloqu. Prof. P. O. etc.
